caluisiane ut adorem trinitatem inseparabilem
quae trinitas unitas deitatis est. Tunc audiens
haec uerba impiissimus caluisianus putauit
quia dedit ipsius dicere beatus euplius. gaudio
repletus est caluisianus. et ait. ergo sacrifica. Cui
beatus euplius respondit. ego sacrifico et immolo me ipsum
patri et filio et spiritui sancto. Tunc caluisianus audiens
haec ira commotus iussit eum amplius torqueri.
Et dum diutissime torqueretur. sustinuit certamen
orthodoxe fidei. Tunc impius caluisianus consula-
ris sententiam dedit dicens. Contrarii deorum et
negantes imperialem iussionem unde peccantes eos
iubemus euplum quia scripturas impietatis ab eo osten-
sae sunt. iusto iudicio nostro gladio interfici. Tunc
beatus euplius gratias egit domino iesu christo. quod ad-
uenisset tempus coronam accipiendi. Eunte enim
eo cum gaudio omnis plebs uestigia sequebatur. ad-
mirantes fortitudinem animi eius. Ipsum autem re-
fouente gratia christi uultus fulgebat et laetus prae-
sumpto animo ambulabat. quasi pergens ad nuptias.
et repletus spiritu sancto canebat dicens. magna est gloria
tua domine in seruis tuis. quos ad te uocare dignatus es.
et pro omnibus qui sequebantur eum orabat dicens.
Domine adesto seruis tuis. et ne deseras eos usque in finem
ut glorificent nomen tuum in saecula saeculorum.
Et adcelerabat gressus suos iam quippe prope uicto-
riam coronandus. Tunc extendens manus suas ad
caelum dixit. Gratias tibi ago domine iesu christe. qui con-
solatus es me uirtutis (tua) et non permisisti perire
animam meam cum impiis. et donasti mihi gratiam
nominis tui. confirma nunc quod operatus es in me.
ut confundantur aduersantis audaciam. Tunc re-
spiciens ad populum dixit. Dilectissimi fratres audi-
te. orate dominum et timete illum in toto corde uestro.
qui memor est timentium se ante quam exeant de
saeculo. et postea quam exierint tunc occurrent
eis angeli et deducunt eos ad ciuitatem [illegible] sanctam
hierusalem. Et cum haec uerba complesset et amen
fecisset flectens genua sua [illegible] ceruicem.

et decollatus est (beatissimus) euplius. tunc sempiternam coronam
fidei accepit. exultans in agmine angelorum et sanctorum
martyrum. Introiuit in conspectu domini dei nostri iesu
christi. et repositum est corpus eius in loco uenerabili
conditum aromatibus. Ad laudem et gloriam omni-
potentis dei et domini nostri iesu christi. in quo beneficia
largiuntur contingentibus sepulchrum eius. et om-
nes infirmorum languores sanantur usque in hodier-
num diem. In nomine patris et filii et spiritus sancti qui ui-
uit semper et regnat in saecula saeculorum. amen.

EXPLICIT PASSIO BEATISSIMI EUPLI MARTYRIS.

# INCIPIT PASSIO EUSEBII PRESBYTERI IN ROMA MENSE AUG. DIE XIIII.

XXXV. EODEM TEMPORE QUO LIBERIUS DE
exilio reuocatus fuerat a constantio augusto
heretico. in eadem tantum dogmate ut non
rebaptizaret populum. sed una communione
contaminaret plebem. Eusebius presbyter urbis romae
coepit declarare liberium hereticum et amicum con-
stantii. Cum multi sancta confessione et catholica uitare (perfecti)
communionem liberii per eusebii presbyteri doctrinam stu-
derent. Occupantur ecclesiae a liberio. deicitur felix
de episcopatu. subrogatur liberius. tenetur eusebius
presbyter. quia in praedio suo quod ipse construxerat popu-
lum congregaret. et confortaret plebem suam. Tunc
constantius imperator adgreditur cum liberio eu-
sebium presbyterum dicens. Tu solus christianus es
in urbe roma. Eusebius presbyter respondit. Sic confidi-
mus in domino. quia fideles nos inuenit christus. sicut et bap-
tizati sumus. et benedictionem quam a beato iulio sus-
cepimus tenemus. Liberius dixit. praesente augusto
tam contumacem me existimas. Eusebius dixit. Res
ipsa docet te ac declarat. Imperator constantius dixit.
Et quid est inter fidem et fidem. Eusebius presbyter dixit.
Quantum ad nos peccatores integrae fidei tenentes
sumus. quantum ad uos insania diaboli et inuidia
superstitionis uestrae. ut felicem episcopum quem uos
Liberius dixit. Nos cuius fungimur uices nonne iulii antecessoris
nostri. Eusebius presbyter dixit. Si perseuerasses in fide quam in persecu-
tione primo tenere uisus fueras.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTECA APOSTOLICA VATICANA
HESSEN
Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/bav/bav_pal_lat_846/0246